Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 151
Quelle:
Copyright:

ſacerdotali moderno ad antiquum habitum comparato, quid miſtice ſignificet, perſequamur. Sumta ſunt haec e *Rabani* L. I. *de Inſtitut. Clericor.* a C. 14. edit. *ſuprac.* T. VI. p. 7. ſed hic ſuccinctius repraeſentata.

Fol. 217. iterum reditur ad *Gloſſas* et quidem in *Pſalmos*, in *Epiſtolam ad Hebraeos* et in *Apocalypſin*, ubi C. 21. v. 8. in voce *execratis* ſiſtitur, quin folium deperiiſſe videatur. In ſecunda hac Expoſitionis Parte, videlicet a *Libris Samuelis*, rareſcunt Gloſſae *Theotiſcae*; invenias tamen *fol.* 155. inprecatio, maledictio, *Schelta. Fol.* 172. Ptiſane *Feſun* alias *Spriuiur. Fol.* 182. Faſcinatio *Zouper* &c. Donec aliud edocear, Contenta hoc *Codice* ab ore *Rabani Mauri* dictantis a Diſcipulis excepta fuiſſe teneo.

LXV. VIII. F. 4.

460 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 183. 4. eleganter exaratus, rubricis diſtinctus, olimque *Monaſterij ſancti floriani patav. Dyoc.* ſequentia continet: I. *Gloſſas* ſeu Interpretationes difficiliorum Vocabulorum S. Scripturae non Alphabeti Ordine, ſed Librorum, qui ſe hac ratione conſequuntur: *Pentateuchus*, *Joſue*, *Judicum*, *Regum*, *Prophetae*, *Job*, *Salomon*, *Paralipomena*, *Esdras*, *Eſther*, *Tobias*, *Judith*, *Machabaei*, *Evangelia*, *Actus*, *Epiſtolae Canonicae*, *Paulinae*, *Apocalypſis*, et *Pſalterium*. Praeit Quaeſtio: *Quid primum inquirendum ſit in Libro.* Ad quam reſpondetur: *Primum inquirendum eſt omnium Librorum tempus. Locus. Perſona. Et quare non XII. euangelia recipiantur. niſi quatuor. quia uidelicet totus mundus conſtat ex IIII elementis* &c. Futili huic rationi inſiſtit pluribus Noſter, ſed nota, illius aevo non niſi XII. circumlata fuiſſe *Evangelia*, quorum numerus nunc, diverſis ſaltem ſub titulis, pene ad XL. adcrevit. Expoſitio porro illius non tantum ad ſacros Libros, ſed etiam ad *Hieronymi* Praefationes porrigitur. Ita ante *Geneſin* explicatur: *Preſagus. Pentateucus. Sintagma. Apocrifa. Hybaros. Nenias. Autenticos. Oconomicon. Xenofon. Karismata.* Dein *Geneſeos* initium ſic habet: *Breſith. hebraice. geneſis grece. Latine generatio. Paradiſus. eſt locus in orientis partibus conſtitutus. cuius uocabulum ex greco in latinum uertitur hortus. porro hebraice eden dicitur quod in noſtra lingua interpretatur delicie. quod utrumque iunctum facit hortum deliciarum* &c. Quibusdam Libris peculiares Tractatiunculae ſubjiciuntur, ut Geneſi *De vita Ade*, Exodo *De habitacione iſrael*, videlicet in Aegypto &c. Plures Libri duplicem habent Commentariolum, quorum poſterior ſemper inſcribitur *Alia edicio.* Non indoctum fuiſſe oportet Gloſſatorem. Veſtigia *Hieronymi*, *Iſidori*, *Walafridi* legendo literae plerumque inſiſtit, raro in myſtica divertens; hebraicae tamen graecaeque linguae parum gnarus infelicius ſaepe ἐτυμολογιζει, in quo, uti